



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

788. An saltem collator, v. g. Episcopus, possit alicui, antequàm vacet beneficium, delegare potestatem illud conferendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

nos mores facta, etiam secundum canonicas sanctiones obligare. *reg. non est obligatorium. de reg. juris in 6.* (pro quo vide citatos quamplurimos apud Lott.) multo magis multoque acrius id cavendum in hac materia beneficii. vide dicta de expectativis.

2. Respondeo secundò: nihil tamen obstat, quò minus beneficium nondum vacans, seu vivente adhuc beneficiato, in proprietatem conferatur, seu incorporetur monasterio, prælaturæ, seu dignitati; hæc enim incorporatio beneficii non necessarid secum fert titulum in actu, sed tantum in habitu, cum frequens sit, ut ad Prælatum monasterii, v. g. pertineat Ecclesia parochialis quodam habitu ratione incorporationis; ad alium autem, nempe ad Intitulatum Vicarium, quodam curam & titulum actualem. Laym. *loc. cit.* citans seipsum in *disp. de Prælatis. q. 208.* Sed neque sic locus est pacto de successione in beneficio, quæ pacta à SS. Canonibus ad imitationem legum civilium gravissimè reprobantur, vel etiam ipsi successioni ex pacto mortuo beneficiato; quia in isto casu beneficii secundum titulum principalem vacare non censetur, sed extintum esse, ut ait Laym. *loc. cit.* citans seipsum *Theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 9. n. 2. & Clem. 2. de reb. Eccl. non alien.*

Questio 788. An saltem collator, v. g. Episcopus possit alicui, antequam vacet beneficium, delegare potestatem illud conferendi?

1. Respondeo primò: potest Episcopus Vicario suo generali committere generalem facultatem conferendi beneficia vacatura, sive per obitum, sive causâ resignationis, sive ex alia quacunque: tum quia Vicarius est persona qualificata; tum quia unum cum Episcopo tribunal constituit. *Castrop. loc. cit. num. 3.* Non tamen potest ei committere collationem beneficii certi, antequam vacet. vide dicta superius, ubi de potestate Vicarii quodam conferenda beneficia.

2. Respondeo secundò: de ceterò nulli alteri personæ singulari seu privata potest committere collationem beneficiorum vacaturorum, ne quidem in genere; tum ob textum *cap. deliberatione. §. prohibemus. de off. Legati in 6.* tum ob excellentiam potestatis, quæ alteri, quam personæ qualificatæ, non videtur posse committi. *Castrop. loc. cit.* citans pro hoc *Gl. in c. deliberatione. Paris. de resign. Garc. p. 1. c. 1. n. 9.* Porro qualiter cuicumque à patrono concedi possit in genere potestas nominandi seu præsentandi ad beneficia vacatura ejus juris patronatus subjecta, vel etiam ad unicum, cujus solius existit patronus, dictum supra, ubi de potestate patroni & præsentatione. vide *Castrop. loc. cit. num. 4.*

Questio 789. Intra quod tempus faciendâ collatio?

1. Respondeo: Ordinariis collatoribus concessum à jure communi semestrem. *c. nulla Ecclesiastica. de concess. præb. c. licet. de suppl. Clement. 1. c. 1. eodem.* *Castrop. cit. p. 5. n. 5.* cum communi extenditur hoc ipsum ad collatores omnes (excepto Papâ & Legato ejus à latere & Nuncio: his enim non currit tempus ad conferendum juxta dicta alia; eò quòd possint conferre beneficia etiam devoluta ad Papam. *Castrop. loc. cit. n. 9. Garc. p. 5. c. 3. n. 20.*) tam Ordinarios, quam quibus jure delegationis competit beneficia conferre. *cit. cap. nulla.*

Hinc comprehenduntur etiam Cardinales respectu beneficiorum reservatorum, quorum conferendorum indultum habent; indultum enim conferendi reservata non impedit devolutionem, sicut eam impedit indultum conferendi devoluta ad Papam. *Castrop. n. 10.* Item tam ad eos, quibus collatio competit jure primævo & proprio, quam quibus competit ea jure devoluta; cum hi sint collatores diversi, & hi subeant quoad omnia, seu quoad omnes circumstantias modi & temporis conferendi vices primorum collatorum negligentium conferre, & quoad hos nulla in jure reperitur restrictio temporis. *Castrop. loc. cit. n. 12.* citans *Azor. p. 2. l. 6. c. 27. q. 12. Lamb. l. 2. p. 3. q. 2. a. 8.* Item tam ad eos, ad quos fit devolutio à patrono laico negligente præsentare, quam ad quos ea fit à patrono Ecclesiastico; quia illa beneficia pertinentia ad ejus collationem liberam; siquidem ob negligentiam patroni pro ea vice admittitur ei potestas præsentandi, & nascitur Superiori potestas liberè conferendi. *Castrop. num. 13.* *Azor. ubi ante. q. 11. Lamb. loc. cit.* juxta dicta à nobis alia. Item tam ad collatores manualium, quam beneficiorum non manualium; quia textus *cap. nulla. de concess. præb.* loquitur generaliter, & ratio decidendi æque in manualibus, quam aliis procedit, nempe ne Ecclesiæ maneant in suspensio. *Castrop. num. 11.* neque inde fit, ut dictum alia, quò minus factâ provisione per Superiorem illum, possit talis provisus ab inferiore & ordinario collatore removeri, saltem ex causa justa. *Castrop. loc. cit. juxta Gloss. fin. in Clem. unic. de suppl. negl. v. revocari.*

2. Contra limitanda responsio primò, ut non procedat quodam beneficia resignata permutacionis gratiâ, dum ad horum collationem non est semestrem designatum, & relictum liberum collatori ad illud protrahere collationem; eò quòd horum collatio sit obligatoria. *Castrop. n. 6.* citans *Garc. p. 10. c. 4. n. 2. & 3. Rebuffi. in pr. tit. de devol. nu. 6. & rii. de permut. n. 39.* Secundò, ut non procedat quodam institutionem; hæc enim post factam legitimè præsentationem terminum à jure præfixum non habet ob rationem eandem, quia non est collatio libera, sed necessaria; semestrem autem designatur & relinquatur collatoribus liberè conferentibus. *Castrop. n. 8. Garc. cit. c. 4. nu. 1.* Ideo autem jus determinavit tempus provisioni voluntariæ & non necessariæ; quia ad provisionem liberam non potest compelli collator, sed si intra tempus à jure concessum non conferat, nullâ factâ compulsione, ad Superiorem devolvitur provisio. Secus est de provisione necessaria; hæc enim si omittat Episcopus, v. g. potest compelli ad faciendam institutionem à Metropolitanò vel Nuncio Apostolico, cui si non obediatur, faciendâ institutionem intra terminum sibi præfixum, potest ipse Nuncius vel Metropolitanus instituere, seu conferre, non tam ob devolutionis titulum, quam titulum avocationis & injusti gravaminis tollendi. *Castrop. loc. cit. n. 8.* Tertio, in beneficiis resignatis in favorem, utpote quæ solus Papa conferre potest, cui non currit tempus. *Castrop. n. 7.* citans *Garc. p. 10. c. 2. num. 12. Mandol. ad reg. 34. q. 90.*

3. Porro qualiter hoc tempus incipiat currere, non à die vacationis, sed à die notitiæ de vacatione, dictum est supra, & ubi de tempore præsentacionis. Item qualiter hoc tempus non currat impedito, dictum est satis, ubi agebatur de præsentacione; Item paulò supra dictum est, ubi quærebatur, quæ